



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Antonio Cabrerio Avendanno, Cùm vulgaret Librum inscriptum, Ver  
sacro-profanum. Ode XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

Maffyllo timidus specu,  
 Nec nido indecores fulminis arbiter  
 Produxit malè filios.  
 Tantùm exempla animant, semen & infitum!  
 Quid Bedfordia reddita,  
 Russelliquè sibi, commoneant (vetus  
 Est fœdus) reducis manu  
 Regis munificâ, qui stupet inscius;  
 Idem per memores eat  
 Fastos, & monumenta eruat vltimæ  
 Non Thyles, sed & vrbium,  
 Quas Titan gemino lustrat ab æquore,  
 Condens, ac reuehens diem:  
 Occurret folijs impiger omnibus  
 Russellorum aliquis, virum  
 Victor, nec spolijs inuidus Herculis!  
 Huius vos patulæ arboris  
 Gemmas, & nitido cortice sureulos  
 Martis mœnia continent;  
 Captantes aditus iam Capitolij,  
 Quà quondam ibitis æmuli,  
 Cingat laurea, seù frons oleæ comam.

ANTONIO CABRERIO AVENDANNO.

*Cùm vulgaret Librum inscriptum, Ver  
 sacro-profanum.*

O D E XXIII.

**R** Vrsùs emergit soboles acutæ  
 Mentis, ANTONI, genitore digna  
 Te, nec inuoluet patre te pudendos  
 Degener annos.  
 Sic cano vates: canimusquè vates  
 Vera constanter. Liber hic beati  
 Ritè depingit Zephyri, & virentis  
 Regna maritæ.

Aptar

Aptat illustres titulos utrique :  
Veris & blandi facer ac profanus  
Colligit quæstum, varioquè donat  
    Nomine fructus .

Pone me cælo sub inhospitali  
Duplicis Zonæ domibus negatæ ,  
Reddar hoc scripto tepidus, calor, seu  
    Bruma perurat .

AD CATHARINAM,  
MAGNAE BRITANNIAE REGINAM .

*Conualuisse propè desperatam , ab Vrbe missis soterijs ,  
immortaliter gaudet . Dein afflatu quodam, etiam ut  
medicus, vaticinatur .*

O D E XXIV.

    I O beatè est ! omnibus annuit  
    Votis Olympus : redderis, impium  
    Egressa Parcarum tribunal ,  
    Sollicito CATHARINA regno .  
O vitam, & annos parce pater, pater ,  
Non sic vocatæ rumpere coniugis  
    In flore primo : deme nostris  
    Ah potius placitura (dixit)  
Momenta fufis . Quis sterilem Tagi  
Arere gemmam iacter ? amabili  
    Possit Britannum prole regem ,  
    Et cupidos hilarare ciues .  
Euenit : atros pulchrior eniter  
Vt post labores Cynthia, non secus ,  
    Regina, liquisti cubile ,  
    Horrifico decorata morbo .  
At non molestis plena timoribus  
Est forma tanti . Grande periculum  
    Fecisse deuoti memento  
    Tunc animi : tua quippè virtus ,

Gli-